







1, 455. 462 7  
1877  
7

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE

**EFFECTU ERRORIS  
IN CONTRACTU EMTI  
VENDITI,**

<sup>QUAM</sup>  
DEO ADJUVANTE

ET  
ILLUSTRI JURISCONSULTORUM ORDINE  
DECERNENTE,

IN ALMA CHRISTIAN-ALBERTINA,  
MAGNIFICO PRÆSIDE

**D. FRID. GOTTLIEB STRUVIO,**

CÆSARÆ CELSITUDINIS, DUCIS SLESVICO-HOLSAT.

CONSILIARIO JUSTITIÆ, PROFESSORE ORDINIS JURIDICI  
PRIMARIO, FACULTATIS P. T. DECANO,

ANNO MDCCXLIX. DIE XXIV. SEPT.

**PRO LICENTIA**

HONORES DOCTORALES OBTINENDI  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

**JOANNES ALBERTUS HANKOPH,**  
HAMBURGENSIS.

KILONII, LITTERIS GOTTER. BARTSCHII, ACAD. TYPOG.

16.



DISERTATIO IN IURIS NATURALIS JURIDICA  
DE  
EFFECTU ERRORIS  
IN CONTRACTU EMPTI  
VENDITI  
DEO ADIUVANTE  
ILLUSTRI IURISCONSULTO ET VIRO DOCTO  
DECEMENTE  
IN ALMA CHRISTIANA ALBERTINA  
MAGNifico PRASIDE  
D. FRID. GOTTLIEB STRUWIO  
CENSORE PUBLICO ET VIRO DOCTO  
CONSILIO JOSEPHI CAROLINI AUSTRIAE  
REGIS AUSTRIAE ET BOHEMIAE  
A. D. MDCCCLXX. DIE XXIV. SEPT.  
PRO LICENTIA  
HONORIS DOCTORIS GRATIA  
PUBLICO ERUDITIONIS EXAMINE  
JOANNES ALBERTUS HARKOTZ  
HABUJENSIS  
AUCTOR





PERILLVSTRI ET MAGNIFICO  
S. R. G. I.  
LIBERAE CIVITATIS HAMBVRGENSIS

SENATVI  
VIRIS

*MAGNIFICIS AMPLISSIMIS  
CONSVLTISSIMIS EXCELLENTISSIMIS  
SPECTATISSIMIS*

DOMINIS CONSVLIBVS

DOMINIS SYNDICIS

DOMINIS SENATORIBVS

DOMINO ARCHIVARIO

DOMINO PROTONOTARIO

ET

DOMINIS SECRETARIIS



PATRIAE PATRIBVS OPTIMIS  
MAECENATIBVS ET PATRONIS  
AETerno HONORIS CVLTV  
PROSEQVENDIS  
HANC  
QVALEM CVNQVE SVAM  
INAUGVRALEM DISSERTATIONEM  
EA QVA DECET ANIMI  
OBSERVANTIA

D, D, D.

IOANNES ALBERTVS HANKOPH.

DIS-







DISSERTATIO  
DE  
EFFECTU ERRORIS IN CONTRACTU  
EMTI VENDITI.

TH. I.

**Q**uanquam juxta disciplinam æque naturalem ac civilem, satis inter omnes constet. Quod Error officit Conventionibus. *nihil magis Conventionibus officiat, quam Error;* Siquidem hic interveniens, aut causam dans negotio civili, consensum contrahentium tollit, ac propterea obligationem, ex consensu paciscentium dependentem, impedit, eamque nullam atque irritam reddit. *l. 15. ff. de iurisd. l. 116. §. ult. ff. de R. I.* Ac præcipue in contractu emptionis venditionis, & reliquis contractibus consensualibus attendendus atque examinandus venit. Uti bene monet Pomponius *Jctus in l. 57. de O. & A. verbis in omnibus negotiis contrahendis, sive bonæ fidei sint, sive non sint, si error aliquis intervenit, ut aliud sentiat, puta, qui emit, aut qui conducit; aliud, qui cum his contrahit, nihil valet, quod actum sit. Et idem in societate*

A

cietate



*cietate quoque cœunda respondendum est, ut si dissentiant, aliud alio existimante nihil valet ea societas, quæ in consensu consistit.*

TH. II.

Effectus Erroris est intricatus

Non tamen de *Effectu Erroris*, qualem in Conventionibus partium producat, res inter juris Interpretes satis clara aut expedita habetur; verum potius illa materia multis Doctorum Opinionibus est intricata. Cujus quidem ratio non aliunde, quam ex veteri juris disciplina est indiganda. Cum enim de *Errore* atque *Ignorantia* Stoici Philosophi varios conceptus habuerint, nec non ejusmodi error variis modis circa negotia civilia contingere possit. Id circo factum est, ut jurisprudentiæ Romanæ conditores Stoicæ disciplinæ maxime addicti, diversimode in suis scriptis, quorum fragmenta a Triboniano in Pandectas relata sunt, locuti fuerint, atque in diversas sententias abierint, quæ materiam istam variis controversiis implicarunt.

TH. III.

Fata novioris jurisprudentiæ

Verum etiam supervenientes post restauratam in Italia jurisprudentiam Romanam *Glossatores*, variis distinctionibus materiam istam obruerunt, ut vix certum pedem figere liceat. Abscissa nimirum textuum civilium fragmenta, interpolationes a Triboniano factæ & lacunæ relictæ, tot obscuritates atque difficultates progengerunt, ut certum legum intellectum non satis liceat eruere. Accessit denique *Communis Opinionis* apud Doctores vis & præjudicialis autoritas, quam sana prudentiæ legalis ratio vix vincere potest. Ex quibus omnibus



bus constat, legulejorum scriptis non satis tuto in hac scrupulosa materia inhærendum esse, verum genuinam ac solidam legum civilium interpretationem atque adplicationem ex juris naturalis atque gentium principiis simul esse petendam, ita, ut in plerisque casibus magis ad æquitatem naturalem & facti circumstantias, quam ad rigorem & dictamem legum civilium sit respiciendum, teste Grotio de *Jur. Bell. & Pac. lib. II. cap. I. th. 6.*

TH. IV.

Verum cum nimis operosum foret, atque institutum se ultra modum Dissertationis Academicæ protraheret, si omnem effectum expendere vellemus, quem *Error* in Conventionibus atque aliis negotiis civilibus inducere potest. Idcirco in præsentem eum saltem *Erroris effectum* examinabimus, qui circa *Contractum Emtionis venditionis* contingere potest. Cum enim hujus contractus materia sit fere quotidie in foro ac praxi obvia; Ideo hunc potissimum ad disquisitionem publicam redigere placuit, eo magis, quia commerciorum conditio ac favor propius ad rationem politiæ naturalis accedit, atque ex ejus regulis æstimari debet.

Thema proponitur

TH. V.

Neque supervacua aut inutilis hæc Tractatio ex inde videri poterit; Quod juxta praxin hodiernam communiter contractibus, atque in specie Emtioni Venditioni, ad excludendam *Erroris* allegationem, Clausula: *wissentlich und wohlbedächtlich* inferi soleat. Vt sic frustraneum foret, de exceptione *Erroris*, ejusque effectu disputare, cum

Clausula Contractuum wissentlich u. wohlbedächtlich





cum ad jura semel renunciata paciscentibus non detur regressus, & cuilibet liberum sit, exceptioni sibi, de jure competenti, renunciare. Verum, præterea, quod talis clausula plerumque ex consuetudine Notariorum inferatur, citra specialem intentionem partium, adhuc responderi potest; Quod vis atque intellectus hujus clausulæ genuinus hic sit; Quod partes sponte, deliberato, ac præmeditato ad Contractum accesserint, & omnia puncta atque contenta pacti bene intellexerint, provida deliberatione conceperint, atque sufficienti mentis consilio composuerint, & sic nihil præcipitando egerint. At vero ad ea, quæ a partibus ignorantur, aut in quibus, in deliberatione sua, ex erroneo quodam principio deceptæ, atque ad paciscendum inductæ fuerint, neutiquam pertineat, siquidem certi iuris est; Quod conventio ad non cogitata, & sic ad ignorata atque erronea non possit extendi, Vti bene monet Stryckius de *Cautelis Contract. Sect. I. cap. 5. th. 14.* Atque hinc facile patet, quod illa Clausula atque renunciatione non obstante, nihilominus de *Errore* quæri ac lis in judicio moveri queat.

## T H. VI.

Error &  
ignorantia  
apud Jctos  
pro synonymis  
habentur

Quanquam vero juxta principia philosophica, *Error* atque *Ignorantia* inter se omnino differant. Etenim error aliquid in intellectu mentis humanæ *ponit*, atque falso & erroneo quodam præsupposito mentem fallit. At vero ignorantia *nihil* ponit, sed *negat* omnem de re aliqua conceptum. *Can. 6. caus. 22. Qu. 2. Can. 11. Dist. 38.* Attamen in foro civili Jctorum hæc vocabula invicem synonymice adhibentur, & unum alterum, sensu quodam reciproco, includit. *Struv. Synz. Civ. Exerc. 27. th. 51.*

## T H. VII.





### TH. VII.

Cum porro Jcti hunc errorem dividant, ut alius sit Error atque ignorantia *facti*, alius vero error atque ignorantia *juris* *tt. ff. de jur. & fact. ignor.* Idcirco hic notandum, quod in præfenti Differtatione, non agatur de Errore juris, nisi forte ille in errorem facti simul incidat, eumque forte promoveat. Verum agitur de *Error facti*, qui vel *incuriosas* atque *negligentes* ex improvifo per *culpam* fallit; vel etiam *astutos*, & *prudenteriffimos* quandoque *casu* decipere potest. *l. 2. ff. de jur. & fact. ignor.* Sicuti aperte tale *discrimen* inter errorem facti atque juris, in contractu emti venditi, attendendum esse, monet Paulus Jctus in *l. 2. §. 15. ff. pro Emtor.* Atque talis error momentum pensitationis circa contractum empti venditi facere potest, quatenus vel ad contractum rescindendum, vel ad æstimationem & præstationem interesse, agitur, prout recte advertit Titius in *Jur. Priv. Lib. IV. cap. 2. §. 32.*

Intelligitur hic Error facti non juris

### TH. VIII.

Est autem porro hoc ita declarandum, ut non admittatur *affectata* aut *supina* ignorantia facti, nimirum, si quis ea nescivisse ac ignorasse prætendat, quæ quilibet contrahentium scire debet ac potest juxta *l. 15. §. 1. de contrab. empr. Gail. Lib. II. Obs. 48. num. 15.* Paria enim sunt scire, ac scire posse vel debere. *l. 15. Cod. de rescind. vend. Gratian. Discept. For. Tom. l. c. 194.* idque exemplo quodam declarat Lyncker *Decis. Dicafter. Jen. 824.* In tali enim ignorantia versans, licet quandoque ad rescissionem forte contractus, vel declarationem nullitatis agere queat,

Declaratio superadditur



queat, non tamen interesse sui æstimationem consequi potest. arg. l. 45. l. 57. de contrab. empr. Atque sub hac declaratione intelligitur illa regula juris communis; Quod Error regulariter erranti nocere debeat; sibi enim quisque imputet, quod non melius in rem inquisiverit. Beier ad Pand. tit. de contrab. empr. Post. XXIX. Quod eo magis obtinet, quando Error ex præsentaneo visu, cum merx ipsa sistitur facile præcaveri potuerit. Beier. d. l. Post. XXXVII. Hoc specificè confirmat l. 16. §. 2. de liber caus. ibi: Tunc habet emptor hanc actionem, cum liberum esse nesciret; nam fisci liberum, & sic emit ipse se circumvenit. At vero si venditor sciverit, emtorem errare, et hic fidem forte emtoris secutus, non satis in qualitatem rei venditæ inquisiverit, & sic sua credulitate ac facilitate læsus fuerit, utique propter concurrentem dolum venditoris, benignius cum emtore agendum erit, ne dolus venditoris eidem lucrosus atque credulitas emtori damnosa sit, quia potior semper ejus habenda conditio, qui certat de vitando damno, quam qui certat de captando lucro, uti bene monet, Beier d. l. Post. XXXVIII.

TH. IX.

Error ipso-  
rum contra-  
hentium  
saltem spe-  
ctatur

Spectatur autem potissimum Error ipsorum contra-  
hentium, qui emunt ac vendunt; Biccii Colleg. Argentor.  
tit. de Empt. vend. num. II. Dilucide hoc exponit l. 12. ff.  
de contrab. empr. ibi: In hujusmodi questionibus personæ  
ementium ac vendentium spectari debent, non eorum, quibus  
acquiritur ex eo contractu actio. Nam si servus meus vel fi-  
lius, qui in mea potestate est, me præsentem, suo nomine emant,  
non est querendum, quid ego existimem, sed quid ille, qui  
contra-



*contrahit. Debet tamen hoc restringi ad eum casum, si proprio nomine egerint; Aliter se res habet si ex jussu domini vel patris actum, tunc enim scientia domini ac patris magis, quam ignorantia atque error filii ac servi spectari debet; siquidem alter alterius opera videtur usus Beyer ad Pand. tit. de contrab. empt. Posit. 39. Uti refert Pomponius l. 13. ff. de contrab. empt. ibi: Sed si servo meo vel ei, cui mandavero vendo sciens fugitivam, illo ignorante, me sciente, non teneri te ex empto vendito verum est. Idem asserit Ulpianus in l. 16. §. 3. 4. ff. de liber. caus. verbis: Quare si filius familias emit, siquidem ipse scit, pater ignoravit, non adquisivit patri actionem, hoc si peculiari nomine egerit. Ceterum si patre mandante, hic queritur, an filii scientia noceat. Et puto adhuc nocere, quemadmodum procuratoris nocet. Plane si filius ignoravit, pater scit, adhuc dico repellendum patrem, etiam si peculiari nomine filius emit, si modo pater praesens fuit, potuitque filium emere prohibere. Pariter de servo & procuratore notat Paulus in l. 17. ff. de liber. caus. ibi: in servo & in eo, qui mandato nostro emit, tale est, ut si certum hominem mandavero emi sciens liberum esse, licet is, cui mandatum est, ignorat, idem sit, & non competit ei actio. Contra autem, si ego ignoravi, procurator scit, non est mihi deneganda. Plenius ea omnia explicat Africanus Jctus in l. 51. ff. de Edil. Ed. ibi: Cum mancipium morbosum vel vitiosum servus emat & redhibitoriam vel ex empto dominus experiat, omnimodo scientiam servi, non domini spectandam esse, ait; ut nihil intersit, peculiari an domini nomine emerit, & certum incertumve mandante eo emerit, quia tunc & illud ex bona fide est, servum, cum quo negotium gestum sit, deceptum non esse, & rursus de-*

lictum



licitum ejusdem, quod in contrahendo admiserit, domino nocere debet. Sed si servus mandatu domini, hominem emerit, quem dominus vitiosum esse sciret, non tenetur venditor. Porro pergit idem Jctus §. 1. d. l. de persona procuratoris; ita: Circa procuratoris personam, cum quidem ipse scierit, morbosum vitiosum esse, non dubitandum, quia, quamvis ipse domino mandati vel negotiorum gestorum actione sit obstrictus, nibilo magis eo nomine agere possit; At cum ipse ignorans esse vitiosum, mandatu domini, qui id sciret, emerit, & redbibitoria agat, ex persona domini utilem exceptionem ei non putabat opponendam. Nimirum ratio disparitatis in eo consistit, quod error atque ignorantia sit personalissima, atque idcirco personas contrahentium non transgreditur. At vero si alieno nomine quis contrahit, paciscentis nihil interest, an contractus subsistat nec ne, unde non ejus scientia aut ignorantia sed domini ac principalis spectatur, cujus interesse tantum in negotio illo civili versatur, atque ideo contra bonam fidem contractus empti venditi foret, sub alterius scientiæ vel ignorantiae prætextu, suam scientiam vel ignorantiam velle suppressere atque inde agere velexcipere. Add. Frantzk. Comment. ad Pand. tit. de contrab. empt. num. 72. & seqq.

TH. X.

Error ab  
allegante  
probandus.

Est vero Error ab allegante probandus, nec facile præsumitur l. 4. Cod. de jur. & fact. ignor. Zanger de except. Part. III. cap. 13. num. 137. Admittitur tamen etiam probatio per juramentum. Cum enim error atque ignorantia consistat in animo & intellectu, talia vero sint difficilis probationis, potest quis eo nomine ad jus jurandum provocare. Berger Oeconom. Jur. Lib. III. tit. 5. th. 5. not. 19.

TH. XI.



TH. XI.

Hoc igitur respectu recte dicitur; *Jus omne Erroris* Jus Erroris maxime in facto est positum. Atque *jus agendi vel excipiendi*, inde proveniens dependere ab eo, quod interest. Id quod potissimum ex diversis facti atque negotii circumstantiis, conditione personarum, qualitate rerum, causa contractus inductiva, nec non ex ratione loci ac temporis &c. provenit. Quippe quæ circumstantiæ sunt penitus infinitæ, animumque humanum diversimode afficiunt, & consensum vel dissensum paciscentium in diversa omnino distrahunt. Ut proinde judex circumspæctus hæc omnia in sententionando provide inquirere atque examinare debeat. Atque præterea in his omnibus casibus non ad rigorem juris, verum potius ad *æquitatem naturalem* respiciendum est, quæ judicium in hac materia mirifice temperat, & modo in venditoris modo in emtoris partem inclinat. Disponit de hac vario scientiæ atque ignorantia casu *l. 15. ff. de contrah. empt.* ibi: *Labeo libro posteriorum scribit, si vestimenta interpola quis pro novis emerit; Trebatio placere, ita emptori præstandum quod interest, si ignorans interpola emerit; Quam sententiam & Pomponius probat, in qua & Julianus est, qui ait, siquidem ignorabat venditor, ipsius rei nomine teneri; si sciebat, etiam damni, quod ex eo contingit: quemadmodum si vas aurichaleum pro auro vendidisset ignorans, tenetur, ut aurum, quod vendidit, præster.* Totamque hanc materiam ad fallacias paciscentium in emendo ac vendendo excludendas, esse compositam, notat *l. 37. ff. de Ædil. Ed.*

TH. XII.

Evenit vero talis Error in Contractu Emti venditi, ex Cause Erroris variis causarum figuris: Aut enim circa *Personas* ementorium B



tium ac vendentium, aut circa *Formam* ac *Titulum* contractus; aut circa *Objectum* ac diversas illius *Qualitates*, aut circa alia *Accidentalia* versatur. Quæ causæ omnino invicem discernendæ sunt, si firmam ac validam casuum civilium decisionem facere velimus. Siquidem ex harum causarum confusione, & non accurata discretione plures difficultates proveniunt, quæ incertum reddunt Judicis ac Consulentis iudicium, atque ancipiti hinc inde disceptationi involvunt, ut certam juris regulam statuere non liceat. Frantzk. *Comment. ad Pand. tit. de contrah. empt. num. 37.*

TH. XIII.

Error circa  
personas  
contrahen-  
tium gene-  
ralis

Cum vero omne jus principaliter hominum ac personarum causa constitutum appareat. §. *fn. Inst. de Jur. Nat. Gent. & civ. l. 2. ff. d. Stat. hom.* Igitur prima omnino ratio *Personarum* ementium vendentium haberi debet. Vbi *Generatim* notandum, quod, quia omnes circumstantias facti, quæ circa personas ementium ac vendentium ex accidenti contingere possint, vix exhaustire licet. Idcirco placet generalem Regulam constituere; Quod *Toties Error circa personas vitiet contractum empti venditi, quoties ille implementum contractus impedit*, prout tradit Beyer ad *Pand. Tit. de Empt. Vend. posit. 32.* Pariter generatim advertendum, Alio modo errorem spectandum esse in persona *Emtoris*, huic enim plus indulgendum; Alio modo in persona *Venditoris*, huic enim minus indulgendum, siquidem conditio & qualitas rei venditæ huic magis potest esse perspecta, & inde emptori ignoranti facilius potest imponi. Unde quoque recte disponitur in *l. 39. ff. de pact.* Quod pacta obscura atque ambigua contra venditorem sint interpretanda.

TH. XIV.



TH XIV.

Et quidem de errore circa personam tradunt Doctores communiter hanc regulam; Quod *Error circa personam emtoris aut venditoris*, ut si putes, Cajum tuum venditorem esse, cum Sejus sit, vel si putes, a Javoleno te emere, cum Sempronius sit; *faciat emtionem nullam*; Quam refert Struv. *Synt. Civ. Exerc. 24. th. 8.* Quamquam vero hæc definitio Doctorum in se vera sit ac sustineri queat, non tamen perpetuo concludit; Ex qua ratione etiam Titius hanc regulam improbat, atque censet, errorem circa personam non vitare contractum empti venditi, *Jur. Priv. Lib. IV. cap. 2. th. 33.* Sunt nimirum casus, qui circa personas ementium ac vendentium errorem quandam inducunt paulo distinctius considerandi, antequam huic regulæ Doctorum communi concedamus. Cum enim ille, qui cum alio contracturus est, non debeat esse ignarus ejus conditionis ac qualitatis, cum quo contrahit, juxta *l. 19. ff. de Reg. Jur.* utique non omnis ignorantia & error excusationem mereri poterit, ut inde liceat contractum rescindere aut statim nullum dicere, ne culpa aut negligentia cuique sua proficua sit, quod contrarationem juris foret, secundum quam error atque ignorantia vincibilis non excusat, sive talis in jure sive etiam in facto cuiquam obveniat, Add. Cocceji *jus controvers. tit. de contrah. emt. Quest. 45. & seqq.*

TH XV.

Verum pro norma judicii practici in hoc Error, Norma judicii practici circa personas contrahentium contingente, non solus error ponendus erit; Verum potius *interesse pecuniarium* pecunia-rium paciscentium respiciendum erit, quousque ejus atque *quita-*



*quiritatis* ratio simul postulet, erranti succurrere. Ipsa enim natura hujus contractus & favor commerciorum atque omnis promercationis communis hoc exigit, ut iudex æquilibrium suum in iudicando non ad strictum juris rigorem reducat, verum æquitate naturali, pro circumstantiarum varietate temperet.

T. H. XVI.

Interesse  
partium  
circa erro-  
rem in per-  
sona ex  
parte em-  
toris

Nimirum *interesse* partium ex utraque parte, ut quisque de persona secum contrahentis certus sit, potissimum versatur circa *prestationes personales*, quas unus alteri, ex reciproco contractus hujus nexu facere debet, ubi non æque interest partium, an hunc an alium sibi exinde obligatum habeat, quia in una persona plus cautionis ac securitatis, quam in alia esse possit. Et quidem *primo* quoad personam venditoris, *emtoris* interest, cum quo contrahat, scilicet ratione præstandæ *Eviſtionis*, in re sibi vendita, quæ in aliis securior, in aliis durior esse potest, ut ita non par sit omnium venditorum conditio. Atque talis error, ex parte emtoris interveniens, contractum vel nullum vel rescissibilem facere potest, propter varia commoda vel incommoda, quæ inde provenire, atque in longinquum tempus produci possunt. Ita v. g. qui emit ignoranter a tutore; item ab administratore rationum publicarum, licet rem ejusdem propriam, non ita tuto emit, quam qui ab alio. Si quidem illius bona, ob rationes tutelares aut publicas nondum redditas aut non discussas, tacite minori aut fisco sunt oppignorata, ut ita res vendita cum onere transeat, & periculum eviſtionis subesse possit, cum re, ex causa hypothecæ tacitæ, ab emtore eviſta, regressus tantum personalis emtori detur adversus venditorem suum,





suum, quem ex contractu emti venditi habet obligatum, cui actioni, emtoris personali, causa pignoris taciti præferitur. Vt inde emtor, ignorans hæc, periculum evictionis invitus subire non teneatur, neque adigi queat, ad contractum emtionis ininitum, detecto errore, servandum.

T H. XVII.

Pariter ex parte *Venditoris* interest, circa personam Emtoris non errasse, propter *solutionis* morositatem atque securitatem, quæ non æqualis est in omnibus contrahentium personis, ut major difficultas recipiendi solutionem sit in una, quam in altera persona. Atque interim emtoris propter varias circumstantias plurimum interesse potest, ut promptam atque paratam pretii ac pecuniæ solutionem, forte propter fidem mercaturæ servandam, vel propter imminentem concursum, aut cessationem bonorum suorum, quam forte per expectatam atque receptam pretii solutionem avertere potuisset, habeat. Sin vero illud tardius solutum fuerit, res jam desperata venditoris in pejus discessit, quo status bonorum, nullo interesse moræ petito vel adjudicato satis redintegrari aut compensari non possit. Proficuum ergo omnino erit, errorem hunc a iudice expendi, si forte jam pingvior atque securior offeratur emtor, cui bona sua in præfenti vendere queat, anteriori contractu dissoluto, quem venditor cum erroneo emtore iniisset.

Interesse ex parte venditoris

T H. XVIII.

Facile proinde patet, *Interesse affectionis*, ad hunc effectum dissolvendi contractum empti venditi non sufficere, forte si emptor vel venditor putaverit, *cognatum* vel agnatum rem emere, cum extraneus sit, qui nullo penitus

Interesse affectionis non sufficit



penitus cognationis aut agnationis vinculo venditori conjunctus sit. Hæc enim bona opinio veritati rei gestæ non potest prævalere. Quanquam enim interesse familiæ ac cognationis in retractu ac fideicommissis familiæ attendatur. Nec non quandoque in juramento in litem affectionis spectetur; Attamen in casibus, lege speciali determinatis, ad argumentum generale, consequentiam producere non licet. Siquidem in contractibus pro norma atque æquilibrio, non respectus personarum, ex justitia vulgo distributiva, verum ratio saltem negotiorum, secundum justitiam commutativam atque simplicem proportionem habetur. Ut proinde casus non excepti maneant sub communi & generali contractuum regula.

TH. XIX.

Interesse remuneratorium

Neque *interesse remuneratorium* & Error, inde proveniens, sufficit, si quando quis ex obligatione quadam antidotali, qua emptor vel venditor, se alteri obstrictum censuerit, atque hujus intuitu vel minus vendiderit, vel plus in pretio dederit. Vel etiam si contrahens in *bene meritis* ab alterutro acceptis, erraverit, quæ plane nulla, vel longe minora, quam putaverit, fuerint; ad rem aliquot momentum asferre poterit, siquidem obligatio antidotalis, in mero alterius pudore consistit, atque tam naturaliter quam civiliter, nullum in foro civilii effectum producit. Nec proinde naturam contractus emti venditi alterare potest.

TH. XX.

Error nominis non nocet

Similiter *Error in nomine*, *prænomine* aut *cognomine* Emptoris aut venditoris, contractui non nocet, quia hæc inter mera accidentalia referuntur, modo inde Error



ror in persona non inducatur. Vti declarat argumentum l. 80. ff. de judic. item l. 65. §. 1. ff. de verb. oblig.

TH. XXI.

Ex eadem ratione Error in *Sexu* contractui nostro non officit; Si forte quis emtorem aut venditorem masculinum esse putaverit, cum femina fuerit. Siquidem ex hac parte nihil emtoris aut venditoris interest, cum in contractu emtionis venditionis feminae nulla privilegiorum prerogativa gaudeant, verum cum masculinis aequali jure, secundum regulam juris communem utantur. Nec imbecillitas foeminarum naturalis causam excusationis praebere potest, cum assistentia Curatorum, emtori aut venditori sufficientem in contrahendo securitatem praestare queat. Nec enim credendum, sine huius consiliis foeminam contractum, licet ignorante emtore aut venditore, iniisse.

TH. XXII.

Aliquando de persona Emtoris ac venditoris constat; Verum erratur saltem in *qualitate* ejus legali. Quando quis cum *inhabili* contrahit, quem putat habilem. v. g. Si quis cum minore contrahat, quem quis majorem putat. Aut si quis cum mentecapto contrahit, quem putat sanae mentis. Atque talem emtionem nullam esse, declarat l. 2. §. 15. 16. ff. pro Emtor.

TH. XXIII.

Quaeritur porro; Quid Error circa personam *Principalem* ac *procuratoris* operetur. Nimirum; *An venditor* stare teneatur contractui, quando emtor proprio nomine se emere fingat, attamen emat alieno nomine. Schliesset den Contract in seinen Rahmen, und lässt nachgehends einen andern in Contract treten, für welchen er das Guth gehandelt habe; Und



Und will dahero den Contract gleich auff dessen Principals Nahmen schreiben und transferiren lassen. Nos venditorem non teneri arbitramur, adeo, ut contractum ab una persona, invito venditore, in aliam transcribere non possit. Quia scilicet nexus obligatorius contractus stringit ipsum contrahentem, atque inde venditori jus ex eo in personam contrahentis acquiritur, quod venditori invito eripi non potest, maxime, si iustam causam contradicendi ac protestandi contra surrogatum emtorem, forte quod non satis sit idoneus, allegare queat. Nec obstat, quod quilibet jus ex contractu quaesitum alteri cedere possit. Responderur; Hoc intelligendum est, salvo iure tertii. Est enim, hoc respectu differentia facienda inter contractus unilaterales v. g. mutuuum, &c. Ibi enim ius crediti est penes unum, & sic cessio iuris, invito debitore, in casibus non prohibitis fieri potest. At vero in Contractu emti venditi ius crediti ac debiti est reciprocum; atque idcirco mutuo consensu opus est. Nec obstant textus supra in *ih.* 9. allegati. Siquidem isti, non de errore circa personam, sed de errore circa qualitatem *objecti* loquuntur, atque sic ad casum praesentem non pertinent. Pro astruenda porro negativa accedit. Quod hoc contingat praeterea in praedictum domini directi, cui hoc modo alius obruderetur vasallus, in quem ab inito non consensit. Concurrit etiam praedictum Judicis ac magistratus, cujus sportulae confirmationis imminuuntur, cum ordine juris servato, duplex contractus fieri deberet, quo res ab emtore rursus in alium novum emtorem transferenda est, si ipse contrahens fidem contractus initi servare velit ac teneatur. Utique porro praedictum foret in aliis pra-



præstationibus laudemialibus, resignationibus iudicialibus &c quæ alio modo in unum contraherentur.

TH. XXIV.

Sed quid si plures sint contrahentes, forte quorum res communis venditur, vel quando plures rem communiter emunt ab uno vel pluribus. Quid juris erit circa Errorem? Certe si quidem omnes una, erraverint, emtores aut venditores, nihil erit diversum; quia omnes uno eodemque jure censentur. At vero si quidam ex his erraverint, quidam sciverint; Tunc quæritur; An Error, an Scientia prævalebit. Certe cum in re communi potior sit prohibentis conditio juxta *l. 28. ff. commun. divid.* idcirco putaverim, errorem dissentientium prævalere, ne jus unius ex facto alterius lædatur. Facile vero concedo, alterutram partem, quæ tali modo in persecutione juris sui læditur, contra scientes, qui melius socios suos non informaverint, ad interessè agere posse.

Si plures  
sint con-  
trahentes,  
quid juris?

TH. XXV.

Porro Quær. An actio vel exceptio defuncto competens, etiam hæredi ad agendum vel excipiendum proficit? Certe ratio dubitandi ex eo nascitur, quod error fit personalis, atque in animo consistat. Ea vero quæ animi sunt, morte expirant. At vero respondetur, jus, ex errore quæsitum cohæret contractui. Hic ergo, cum ex natura sua sit ad hæredes transitorius *l. 13. Cod. de contrab. et commir stipul.* Idcirco etiam actionem vel exceptionem erroris in hæredem transferri opinamur. Maxime, cum hæres personam defuncti repræsentare dicatur, juxta effatum *Nov. 48. cap. 1. l. 59. de Reg. Jur.*

An Error  
hæredi  
proficit.

C

TH. XXVI.



Error in  
nomine ac  
titulo con-  
tractus,

Visis personis contrahentibus, progredimur ad Formam Contractus Empti venditi. Ubi primo se offert Error circa Nomen ac titulum Contractus; Quando forte alter emtionem venditionem intendat, alter donationem, & pretium saltem dicis gratia, ac simulatam esse putet, uti casus inter conjuges contingere posset, ut morte alterutrius interveniente, hic vel ille prætextus, ad offensam contractus allegetur: Emtionem venditionem, tali emergente casu generatim imperfectam ac proinde nullam esse, arbitratur Beyer ad Pandect. Tit. de contrab. empt. posit. 31. Atque huc pertinet l. 9. pr. ff. de contrab. empt. ibi: *In venditionibus atque emptionibus consensum debere, intercedere palam est. Cæterum sive in ipsa emtione dissentiant, sive in pretio, sive in quo alio, emptio imperfecta est.* Eodemque præcipue concludit l. 55. de O. & A. ibi: *In omnibus rebus, que dominium transferunt, concurrere oportet affectus ex utraque parte contrahentium, nam ea, sive venditio sive donatio, sive conductio, sive alia quælibet causa contrahendi fuit, nisi animus utriusque consentit, produci ad effectum, in quod inchoatur, non potest.* Objicitur quidem huic decisioni l. 36. ff. de acquir. rer. dom. ubi dicitur, quod error in causa traditionis non impediatur translationem dominii, modo uterque contrahentium titulum ad transferendum dominium habilem supposuerit. Verbis: *Cum in corpus quidem quod traditur, consentiamus, in causis vero dissentiamus non animadverto cur inefficax sit traditio.* At vero respondetur; Traditio in contractibus duplici modo spectari potest, uno, quando habetur tanquam substantiale consecutivum, quod contractum semel in sua forma perfectum, necessario subsequitur, altero modo, quo



quo habetur tanquam *modus transferendi dominium derivatus*. Hoc ultimo respectu suum effectum habet, qualiscunque causa contractus an vera an erronea subsit, quia iuxta *l. 15. ff. de O. & A.* animus saltem & affectus contrahentium inspicitur, quorum consensus invicem in transferendo dominio concurrat, & sic, quoad hunc effectum traditionis plene inter partes consensum est. Aliter res se habet, quando quaeritur de ipsa validitate contractus, an ex illo, mediante traditione, irrevocabile transferatur dominium, ut res, ex causa erronea tradita, nec existens, contractu invalido declarato vindicari, aut consumpta quoad aestimationem condici possit, de qua casu in praesenti agimus, ubi, ob dissensum paciscentium in titulo ac causa contractus annullatur, & translata res, per traditionem in sua substantia vel aestimatione actione personali, aut quandoque reali repetitur. Uti exponit *l. 36. ff. de Reb. cred.*

TH. XXVII.

An *causa movens* aut *finalis* ementium ac *vendentium* Causa movens ac finalis an attendenda sit. ac *Error*, circa illam contingens, spectari debeat, eo magis hic disquirendum venit, quo magis lucrum vel attendenda *damnum* inde emergit, quando partes vel spe suscepta sit. frustrantur, vel errore inducuntur, ad *damnum* praesumptum evitandum, quod tamen, eventu spectato, in lucrum converti protuisset. Certe cum tales intentiones partium plerumque inter retenta in mente referantur, vel etiam ex mero casu fortuito dependeant, & tantum consecutiva contractus adficient atque periculis aut commodis contractus accenseri debeant. Idcirco circa validitatem huius contractus nihil operari poterunt; Verum haecenus ad casus spei numerari debent,



bent, qui contractum non alterant, five emtor five venditor lucrum aut damnum inde preceperit, ac propterea nullo nec evictionis nec alius præstationis obligatione subjacent arg. l. 8. ff. de contrab. empt. Casus evenire possêt, quando quis metu erroneo hostium commotus prædium vendiderit minori pretio, quod alias, non errans, vel majoris, vel plane non vendidisset. Tunc enim ex hoc solo, errans contractum rite celebratum revocare non poterit, qui suæ facilitati hoc imputare debet, quod nimis meticulosus fuerit, & falso rumori crediderit. Pariter, si quis v. g. hospitium meritorium comparaverit, sperans, magnam viatorum frequentiam futuram esse. Postea vero propter varia accidentia, spe sua exciderit, ac inde grave damnum senserit. Hic enim ad eventum fortunæ magis quam contractus pertinet; Adeoque ad *interesse* saltem negotii *extrinsecum* spectat, quod in se incertum ac fallax, imo in quodlibet tempus mutabile esse potest, ac proinde ad decisionem causæ non admittitur.

TH. XXVIII.

Error in pretio emtionis venditionis.

Magis substantialis est *Error* partium circa *pretium* emtionis venditionis; Qui quidem emtionem venditionem *imperfectam* facit, uti declarat l. 9. pr. ff. de contrab. empt. Ex qua lege hoc consequitur, quod contractus maneat *in suspensio*, donec partium declaratio successerit, ac se invicem recte intellexerint, adeo, ut penitendi facultas ex utraque parte subsit, usque dum perfecte in pretium, non erroneum, consensum ex utraque parte fuerit. Schræter *Dissert. de Convention. imperf. tb. 1. et seqq.*

TH. XXIX.

Ulterius hoc explicatur.

Potest autem hic error in *pretio* rursus duplici modo



do contingere. Primo circa pretii *Quantitatem*. Secundo circa pretii *Qualitatem*. Item circa *Tempus*, *modum*, ac *Locum* faciendæ solutionis. Quæ circumstantiæ interesse partium multumvariare, consensum distrahere, atque formam contractus valde immutare possunt. Ut proinde ratio illarum omnino in deliberando ac iudicando haberi debeat.

TH. XXX.

Circa errorem in *Quantitate* pretii rursus duo casus principaliter evenire possunt, ita nimirum; Aut *Venditor majus pretium*; *emtor vero minus intelligit*. Exempli loco esse poterit, quando Sejus per litteras alteri declarat: *Er solte das Guth für die tausend Guldten mille florenis, haben.* Vox *Guldten*, pro diversitate provinciarum in quantitate sua usuali variat. Alter scilicet intelligit florenos Hollandicos; alter Cæsareos. Pariter si vendens fundum centum Rhenanis *Rheinische Goldgulden*, alter de usualibus capiat. *Brunnem. ad l. 9. num. 1. ff. de Contrab. empr.* Facile patet, non tenere emtionem, cum consensus in substantiali contractus deficiat. *Beyer ad Pand. tit. de contrab. Empr. Posit. 33.* Aut e contrario *Emtor majus promittit*, & *venditor minus sensit*, tunc sine dubio perfecta ac valida erit emptio, nec poterit sub prætextu erroris emtor aut venditor pænitere, invito altero quia scilicet majori summæ minor omnino inest, & qui maiorem summam promittit, etiam in minorem consensisse, ac eandem promississe, facile adparet. *Molina de Just. & Jur. Tom. II. Disp. 340. num. 15.* *Lauterbach Colleg. Pract. Tit. de contrab. empr. Conclus. 108.*

TH. XXXI.

Secundo *Error* contrahentium obtingere potest circa pretii *Qualitate*.

C 3

Error in  
Quantitate  
pretii.



pretii *Qualitatem*; Si quando *diversi valoris* fit *moneta* in loco domicilii aut contractus, ab ea, quæ in loco faciendæ *solutionis* obtinet, Ut diversitas apparet monetæ gravis ac levis, unter leichtem und schwerem Gelde. Pariter in valore aureorum deder Ducaten. Nec non thalorum ver species *Thaler*, juxta diversum campforum cursum differentia pro diversitate locorum occurrere potest. Id quod in majori summa, magnum vel augmentum vel imminutionem pretii causare poterit, ut inde errantium multum interesse queat. Verum hanc quæstionem, juxta regulam thesibus antecedentis decidendam arbitramur, ita, ut teneat contractus, quando qualitas pretii, erronee supposita, vero pretio, consensui utriusque determinando, nihil detrahat, & uterque contrahentium in summa minori concurrat. Alias dissensus in majori summa, negotium omnino distrahit. Certe diversitas pretii, ex *tempore* destinatæ solutionis, aucti vel imminuti, cum accidentaliter tantum proveniat, vim ac naturam contractus enervare non poterit.

TH. XXXII.

Error in modo solutionis.

Certe *Error in modo solutionis*. Cum emtor fidem de pretio habitam putet; venditor paratam pecuniam intellexerit, omnino vitiabit contractum, quia plus solvit, qui statim solvit, quam qui post tempus §. 33. *Instit. de action.* Similiter quando venditor solutionem solidam, in einer unzertheilten Summe; emtor solutionem particularem, aut in statos terminos auf Tag-Zeiten, licet ejusdem pretii, intellexerit, emptio venditio erit irrita, siquidem hic modus diversus, etiam substantiam pretii variat, ac proinde dissensum partium inducit, & nullam obligationem constituit.

TH. XXXIII.



TH. XXXIII.

At vero Error in *scriptura* aut *instrumento* emti ven- Error in scriptura seu instru- mento emti venditi,  
diti, a Notario, Advocato, vel amanuensi commissus, scriptura seu instru- mento emti  
contractum non alterat nec illum vitiosum reddit, si venditi,  
modo aliter de veritate rei gestæ satis constat. *arg. l. 8. ff. de stat. hom. l. 72. ff. de fidejussor.* Idque secundum com-  
munem Doctorum regulam, quæ tradit. Quod error  
scribentis non mutet substantiam disputationis Klock.  
*Vol. 2. Conf. 23. num. 20. & seqq.*

TH. XXXII.

Progredimur ad Errorem, qui circa *Objectum* emti Error circa objectum.  
venditi occurrit; Ubi rursus varii existunt casus, a se  
invicem omnino discernendi. Aut enim erratur in ipso  
*Corpore* five *Re* ac *Merce*, quæ in contractum empti ven-  
diti deducitur. Aut vero erratur saltem in ejus *Quali-*  
*tatibus*, aut *Legalibus*, aut *Naturalibus* iisdemque vel *Sub-*  
*stantialibus* vel *Accidentalibus*. *Struv. Synt. Civ. Exerc.*  
*XXIV. rh. 8. & seqq.*

TH. XXXV.

Error in *Corpore* est primo circa *Existentiam*, quan- Error in rei existentia.  
do scilicet res vendita vel nunquam extitit, vel tempore  
initi contractus non amplius extat; atque tali casu em-  
tio venditio, ob deficiens objectum, est ipso jure nulla,  
uti clare decidit *l. 8. l. 15. pr. ff. de contrah. emt.* Atque hoc  
intelligendum est, si res penitus ac *in totum* non extat:  
Et quidem si *uterque* contrahentium & emtor & venditor  
in errore versati sint, & opinantes, rem extare, quæ  
tamen non extat. v. g. Si *domus combusta* fuerit vendita,  
quam uterque extare putat, emtio in totum nulla est,  
adeo, ut neque quoad *aream*, quæ remansit, valeat,  
quia partes domum, non *aream* emere ac vendere vo-  
luerunt,



luerunt, ac proinde pretium, in antecessum, ex ignorantia & errore solutum, conditione sine causa repeti potest. Uti definit *l. 57. pr. de contrab. empt.* Pariter si quis *sylvam* emerit, & arbores omnes, tempore contractus, vel a vento dejectæ, vel igne absumptæ fuerint, *utroque ignorante*, venditio, neque quoad fundum subsistit; juxta *l. 58. ff. de contrab. emt.* Sin vero alter contrahentium *sciverit*, rem non extare, alter ignoraverit. Tunc distinguitur; Aut venditor tantum scivit, rem periisse, emtor ignoravit, nulla quidem est venditio, si tota res ante venditionem perierit: tenetur tamen venditor emtori, ad id quod interest, propter admissum dolum, qui etiam extra contractum præstandus est, & obligat dolosum, ad indemnitatem decepto præstandam, juxta *d. l. 57. §. 1. de contrab. empt.* forte si emtor paratam habuerit pecuniam, eamque sub usuris ab alio acceperit, vel is quid aliud interesse circa rem proximum allegare atque probare possit. Sin vero, e diverso, venditor ignoraverit, & emtor solus sciverit, non tantum valida est emtio, sed etiam ad solidum pretium emptor tenetur, ita, ut nondum præstitum solvi debeat, jam vero solutum repeti non possit. *d. l. 57. §. 1. & seqq.* Videtur enim donasse, qui pretium pro re nulla promisit aut solvit.

TH. XXXVI.

Quid juris  
si pars rei  
interierit.

Quod si utroque ignorante, *Pars* saltem rei venditæ, tempore contractus non amplius extiterit, ut si pars domus venditæ exusta est, multum interest, quanta pars domus, forte incendio consumptæ permaneat. Ut si quidem *amplior* pars domus exusta sit, non compellatur emtor perficere emtionem, sed etiam, si quod pretium forte solutum est, repetat; Sin vero vel *dimidia* pars,



pars, vel *minor*, quam *dimidia* exusta fuerit, tunc coarctandus est emtor venditionem adimplere, ita tamen, ut æstimatione viri boni arbitrato habita, pretium pro rata decrescat, prout definit Paulus JCus *d. l. 57. pr. de contrab. empt.* At vero hæc decisio satis recte se habere potest, secundum ordinariam contractus emti venditi naturam, & secundum communes juris Civilis regulas ubi semper a potiori fit denominatio, & ubi major pars trahit ad se minorem. Verum cum contractus empti venditi sit bonæ fidei, ubi plus valet æquitas naturalis, quam rigor legum civilium, putarem, hanc decisionem non posse universaliter admitti, sed tunc demum obtinere, si quando emptor non possit *singulare interesse* allegare ac probare, ut malit *integram rem* aut domum potius habere, quam ex parte corruptam; possunt enim tales circumstantiæ, pro conditione negotiationis &c. intervenire, ut inde appareat, *integritatem rei* aut domus, pro fundamento consensus suppositam fuisse, quibus circumstantiis emergentibus, iniquum omnino foret, emptorem ad servandum contractum coarctare, cum sæpius intentata emptoris utilitas, nulla æstimatione compensari queat.

TH. XXXVII.

Atque hoc ita se habet in illo corpore rei venditæ, quod partes invicem *heterogeneas* habet, ex quarum continuatione unum aliquod *corpus integrale* existit; uti est in ædibus; Aliter formandum erit iudicium, in illo corpore, quod ex partibus invicem *homogeneis* consistit. Uti exemplum potest esse in agro, prato &c. si quælibet pars, certo respectu, totum aliquod integrale constituere potest. Ubi licet pars maior fundi venditi, forte

Quid juris  
in partibus  
homog-  
neis.

D

inun-



inundatione aquæ destructa fuerit, venditio in minori parte residua subsistere poterit, pretio, proportionabiliter decrescente. Neque enim hoc casu ratio ac interessè integritatis obtinet, qualis in ædibus venditis allegari potest, ac proinde ob disparem rationem, dispar etiam erit iudicium decisivum.

TH. XXXVIII.

Quid juris  
in hæreditate vendita,

Circa *hæreditatem* venditam jure Civili distinguitur; An hæreditas *vivi* adhuc si vendita, & venditio est nulla, cum nondum sit in rerum natura, l. 1. ff. de *hæred. vel act. vend.* siquidem recepti juris est: Quod viventis nulla sit hæreditas l. 27. ff. de *acquir. vel om. hæred.* An hæreditas *mortui* vendatur. Et venditor saltem præstare debet ut sit *hæreditas*, hoc est, ut hæreditas venditori juste *delata* sit atque ad eum pertineat l. 7. l. 8. ff. de *hæred. vel act. vend.* Quantitatem vero vel integritatem præstare non tenetur, nisi certum quid & nominatim affirmaverit l. 2. ff. de *act. vel hæred. vend.* Et cum juxta mores Germaniæ, pactiones etiam super futura hæreditate viventis adhuc valeant, idem juris erit, ut venditor de quantitate hæreditatis venditæ eviçtionem præstare non teneatur, quia nimirum nomen ac titulus hæreditatis etiam rei minimæ hæreditariæ ineffè dicitur. l. 1. §. 1. ff. si *pars hæred. petat.* l. 9. l. 10. ff. de *hæred. petit.* Ex quo consequitur, quod error contrahentium, in ipso quidem *jure hæreditatis*, contractum vitiet, & præstationem interessè causare possit; At vero Error circa *quantitatem* aut *integritatem* hæreditatis venditæ, si dolus absit, contractus validitatem ac præstationem non alterat, sed cedat pretium datum lucro vel commodo alterutrius.

TH.



TH. XXXVIII.

In contractibus *Fortune ac Spei* siquidem Error ex parte emtoris aut venditoris intervenerit, & alter contrahentium falsa ac erronea opinione deceptus plus dederit, aut minus acceperit, ille non attenditur, nec propterea negotium fit irritum, neque læsus inde actionem ad evictionem aut ad interessè habet, *l. 8. §. 1. ff. de contrab. empr.* quia objectum contractus *spei commodum* fuit. *l. 7. f. ex quib. caus. in poss. eat.* Hornius *Class. XI. resp. 29.* Hoc enim, quum sua natura incertum fuerit, utrique contrahentium imputatur, quod se incertæ *spei ac fortunæ* sorti commiserit, & sic in culpa versatur, quæ nemini patrocinari debet, cum errorem inferat vincibilem. Est nimirum hæc emtio venditio v. g. *aleæ, lottariæ, jactus retis & capturæ piscium, vel etiam fructuum futurorum, in semine, herbis aut segete non conditionalis, sed pura, ac proinde eventus lucro & damno contrahentium cedit, neque læsio intervenire creditur.* Klock. *Vol. 2. Conf. 69. num. 41. 42.*

Quid juris  
in Contra-  
ctibus *Spei.*

TH. XL.

Pariter in nomine siue debito vendito ac cesso; venditor præstare debet, ut sit *verum* nomen, quod nulla exceptione perpetua elidi queat, non vero ut *bonum* atque exigibile sit, nec præstare debet, ut debitor cessus idoneus, solvendo, ac locuples sit. *l. 9. ff. de hered. vel act. vend.* Atque nihil interest, an cessionarius sciens an ignorans, debitorem minus idoneum receperit, modo dolus venditoris absit; debet enim seipsum redarguere cessionarius, quod non melius in conditionem debitoris, sibi cessi, inquisiverit Brunnem. de *Cess. Action. Cap. V. num. 47. & seqq.* Limitat quidem hoc Frantzkius *Comment. ad Pand.*

Quid juris  
in nomine  
vendito.



*Tit. de Eviſt. num. 77.* quod tunc periculum nominis ceſſi ad emtorem non pertineat, quando emtor nominis in *probabili errore* detineatur, ex eo, quod debitor ceſſus, per publicam ac communem famam pro idoneo, tempore ceſſionis, reputatus fuerit, atque tali caſu emtorem ad intereſſe contra venditorem, licet pariter ignorantem, agere poſſe, nam ſi ſciverit venditor, debitorem ceſſum brevi decocturum eſſe, tunc ſine dubio, ad indemnitateſ eviſtionem obligatur. Berlich. *decif.* 290. At vero cum error communis negligentiam emtoris non poſſit excuſare, quia diligenti inquiſitione habita, potuiſſet detegi, id circo in damnum venditoris, contra legis communis præſidium, quod venditori hac in parte favet, non poterit detorqueri *arg. l. 25. ff. de Legib.* ſed potius ſtandum eſt generali decifio, quod tradit Hermogenianus JCtus in *l. 74. §. fin. de Eviſt.* ibi: *Qui nomen, quale fuit, vendidit, duntaxat, ut ſit, non ut exigi etiam aliquid poſſit, & dolum præſtare cogitur.* Pariter nec *quantitatem* nominis ceſſi præſtare debet venditor. Niſi certam ſummam affirmaverit. *l. 5. §. 1. de hered. vel act. vend.*

TH. XLI.

Error in  
individuo.

Quod ſi in ipſo *individuo* objecti ex parte emtoris aut venditoris error obveniat, v. g. ſi tu putes fundum Cornelianum te emere, cum venditor Sempronianum vendere voluerit. Sed etiam in *merce mobili*, forte Stück Leinwand, Tuch, Band, Spitzen, Seiden, &c. idem error ex utraque parte contingere poteſt: Atque tunc ſine dubio, ob diſſenſum in re, emtio erit nulla, propter *l. 9. ff. de contrab. empt.* Ratio conſiſtit in *particulari intereſſe*, quod diſparitate individui, ratione ſituationis ad commercia & res promercales, ſed in primis ratione negotia-  
tionis



tionis maritimæ, quam emtor intendit, aut ratione fertilitatis &c. prout etiam in rebus móbilibus ratione *bonitatis* multum interessè circa pretium atque alia prodesse vel obesse queat, unde vera ratio interessè pendeat, quod negligi non potest.

TH. XLII.

Circa *Qualitates* rei venditæ potest se error exserere Error in qualitate legali. primo circa *qualitates legales*; Quando nimirum *res, quæ est extra commercium per errorem pro re promercali, per ignorantiam forte venditur.* Et quidem si uterque emtor ac venditor ignoraverit, emtio est nulla, quia rem talem habere ac possidere non licet ac proinde contractus effectum suum civilem sortiri non potest. Uti definit Modestinus l. 62. §. 1. ff. de *contrab. emt.* ibi: *Qui nesciens loca sacra vel religiosa vel publica pro privatis comparavit, emptio non tenet.* Add. l. 22. l. 23. l. 34. §. 1. de *contrab. emt.* Quod si solus emptor ignoraverit, venditor propter dolum ad interessè obligatur d. l. 62. §. 1. Nec obstat superiori decisioni responsum Pomponii l. 4. & Licinnii J.Ci in l. 70. de *contrab. empt.* ubi: *emptionem liberi hominis contrahi posse, refert, si modo inter ignorantes id fiat.* Siquidem hoc eatenus intelligendum est, ut subsistat emtio venditio rei extra commercium, ad effectum transferendæ & acquirendæ possessionis, & inde dependentium commodorum, quamdiu scilicet error nondum est detectus atque inter contrahentes non adpareat, sin vero error adpareat, tunc omnino emtio venditio erit penitus inutilis, uti notat l. 6. pr. ff. de *contrab. emt.* atque l. 50. pr. eod. atque hoc modo leges in contrarium allegatæ optime conciliari poterunt. Stryck de *Cautel Contract. Sect. II. cap. 8. §. 8.* Struv. *Synt. Jur. Civ. Exerc. XXIV. th. 9. num 5.*



TH. XLIII.

Error in  
proprie-  
tate.

Ad qualitatem legalem etiam referri potest error in *proprietate* si quis nimirum *rem suam* ignorans emerit, tunc enim emptio est nulla & pretium ab emptore solum repeti potest *l. 15. §. 2. ff. de contrab. empt.* Quod forte contingere posset, quando hæres rem a defuncto tertio commodatam, vel apud eundem depositam, ignoranter emerit, & postea scriptura reperta, rem defuncti esse demonstrare queat. Vel etiam quando hæres mercatoris, merces in commissum alteri ad vendendum traditas, ab eodem, tanquam venditoris proprias comparaverit. Eodem pertinet, quando venditor rem *feudalem* pro *allodiali* sive sciens sive ignorans, emptori ignoranti vendiderit, quia rem illam emptori habere, vel non *licet*, propter dissentium domini directi atque agnatorum, vel non *placet*, quia rem pleno jure voluit, ideoque propter manifestum dissentium venditio non potest subsistere. Mantica *de tac. & ambig. Convent. Lib. IV. cap. 4. num. 6. 7.*

TH. XLIV.

Error in  
qualitate  
naturali vel  
artificiali.

Secundo error versari potest circa *Qualitatem rei venditæ naturalem*, quæ etiam *artificialem* sub se comprehendit, siquidem ars imitatur naturam arg. §. 4. *Insl. de adopt.* Atque tum rursus multiplici modo error contingere potest.

TH XLV.

Error in  
sexu.

Aut enim error afficit ipsam rei venditæ *substantiam intrinsicam*, uti est *error in sexu*, quando quis animal forte fœmininum pro masculino, v. g. in equorum venditione ignorans emerit, & tunc emptio est nulla, juxta *l. 11. §. 2. ff. de contrab. empt.*

TH. XLVI.



TH. XLVI.

Aut erratur in *materia* corporis, in quod mutuo con- Error in materia.  
 sensum est. Atque rursus distinguitur. Aut erratum est  
 ab utroque contrahentium, vel saltem ab emtore in *tota*  
*materia*, ita scilicet, ut tota materia corporis ac rei ven-  
 ditæ sit de penitus diversa quadam specie, quam illa, quam  
 contrahentes in contractus figura supposuerunt, ut si forte  
 Dombach vel orichalcum inauratum pro puro auro, stan-  
 neum vas pro argenteo, atque emtio est nulla, nec tene-  
 tur emtor invitus rem retinere, licet venditor pretium  
 minus proportionabiliter velit remittere aut solutum  
 reddere, quia aliud pro alio in sua materia veniit, & sic  
 revera dissensum est. Uti expresse definit *l. 9. §. 2. ff. de*  
*contrab. empr.* Pariter si quis mensam ligneam, argentea  
 lamina coopertam pro *solida* vendat, emtio erit nullius  
 momenti. *l. 41. §. 1. de contrab. empr. l. 21. §. 2. de action.*  
*empr. vend.* Nec obstat *l. 22. ff. d. verb. oblig.* ubi tenet sti-  
 pulatio, licet æs pro auro fuerit promissum. Et enim est  
 dispar ratio, neque a contractu stipulationis, qui est uni-  
 lateralis, ad contractum emti venditi, qui est bilateralis  
 argumentum fieri potest. In stipulatione stipulator nihil  
 vicissim præstat, & sic tenet promissum, cum interesse  
 ejus, quod deest promisso, promissor supplere debeat,  
 uti *d. l. 22.* ulterius addit. At vero emtor vicissim ali-  
 quod pro re vendita, nimirum pretium præstare debet,  
 cujus maxime ac specialiter interest, æquivalentem ma-  
 teriam, & illam, quam supposuit, accepisse. Ex eadem  
 ratione se resolvit *l. 1. §. fin. ff. de pignorat. act.* ubi æs  
 pro auro, pignori datum, valet oppignoratio. Etenim  
 pari modo dispar est crediti atque emti venditi ratio.

TH. XLVII.



TH. XLVII.

Error in  
parte ma-  
terig.

Quod si error in parte tantum materiæ contingat v. g. viriola, quæ aurea dicebatur, magna ex parte fuerit *ænea* inventa, tunc venditionem subsistere, prodit *l. 14. de contrab. empt.* ita tamen, ut æstimatio vel pretium pro rata decreſcere debeat, debet enim eſſe perpetua com-  
menſuratio inter valorem rei, & inter pretium pro re datum. Brunnem. in *Comment. Pand. ad d. l. 14.* Struv. *Synt. Jur. Civ. Exerc. XXIV. th. 9.* Et hæc quidem decifio ordinario jure ſatis recte ſe habet, licet enim in parte fit erratum, in parte tamen reſidua adest fundamentum aliquod contractus, ubi conſenſus ſe figere & inde contractus in ſua forma ſuſtineri poſſit, Obligatio ad præſtan-  
dum intereſſe propter imminutionem pretii ſupplet de-  
fectum materiæ, ut inde emtor ſuum æquivalens accepiffe videatur. Attamen in praxi, propter infinitas facti cir-  
cumſtantias, hoc perpetuum eſſe non poterit, verum fallit omnino illo caſu, quando ab emtore ſpeciale ali-  
quod intereſſe allegari ac probari poſſit, quare emtor materiam *ſolidam* habere velit, forte pro conditione ac dignitate perſonæ emtoris cui non æque hæc vel illa res convenit, vel pro qualitate pactorum, quæ formant contractum & quandoque illum conditionalem expreſſe vel tacite reddunt, ut inde deficienti conditione, emtio quoque corruat.

TH. XLVIII.

Queſtio de  
vino & acc-  
to vendito.

Singulariter hic, juxta diſciplinam legum civilium Quæritur; ſi *acerum pro vino vendatur* ignoranti emtori, an valida ſit venditio? Diſtinguit Ulpianus in *l. 9. §. 2. ff. de contrab. empt.* vel *vinum acuit*, vel *ab initio acerum fuit*. Priori caſu valet emtio, quia tempore contractus adfuit illa



illa substantialis qualitas, quæ in contractu fuit supposita, ac proinde objectum contractus non defuit. Posteriori casu emptio non valet, quia aliud pro alio venditum. Hahn. *ad Wesenbec. tit. de contrab. empt. num. 5.*

TH. XLIX.

Denotantur hæc qualitates rei promercalis substantiales atque intrinsecæ, per solennem illam vocem, in foro ac juxta stylum mercatorum usitatam: Kaufmanns-Guth, es muß Kaufmanns-Guth seyn, hoc est, talis res, quæ possit bona fide in commercium publicum produci, ac res promercalis fieri. Cui oppositum verborum Guth.

TH. L.

Ad errorem porro *substantialem* accenseri poterit error circa *sanitatem* in *pecore morbo* vendito, qui ex præscripto Edicti Edilitii, per actionem redhibitoriam potest corrigi. Coler. *decif. 228.* si nimirum talis sit morbus, qui externo corporis aspectu, vel aliis signis satis apparentibus, non potuit cognosci. *l. 1. §. 2. §. 46. l. 14. §. fin. l. 55. ff. de Edil. Ed. Struv. Syn. Jur. Civ. Exerc. XXVII. th. 5.* Nec interest, an venditor sciverit, an pariter ignoraverit, siquidem per ignorantiam venditoris non minuitur damnum, quod emtori ex vitio rei venditæ obtingit, & sic utroque casu venditor ad pretium reddendum vel remittendum obligatur. Berlich *decif. 77.*

TH. LI.

Similiter error circa *vitium fundi naturale*, ut si v. g. fundus fuerit venditus, qui herbas pestilentes vel alias ex vitioso soli ferat, quæ segetem vel gramina corrumpant, ut inde pascua vel frumenta corrumpantur; Veluti ager, qui frumentum adustum Brandt-Korn tantum proferat, vel frumentum fatuum taub Korn &c. Hoc vitium, si

E

non



non fit corrigibile, emtionem faciet nullam, ita, ut actioni redhibitoriae locus esse queat. *l. 49. ff. de Edil. Ed.* Pariter huc pertinet, quando prata vendita sumpfigt und moräftig find, nimis sint aquofa, die nur fauer Gras geben, welches zur Fütterung nicht dienet.

TH. LII.

Error in  
specie fun-  
di.

Error porro in substantia evenit in *specie* fundi venditi. Ut puta, si quis hortum olitorium pro arbusto, Kohlgarten vor einen Baumgarten. Item si quis vineam pro horto florifero: Weinberg, Weingarten vor einen Lust- und Blumengarten, vel vice versa vendiderit ignorantem emtori. Vel etiam si venditor, ignorans qualitatem fundi specificam, errore deceptus, speciem aliam pro alia vendiderit, & quando, si rem melius scivisset, fundum suum, forte propriis usibus maxime necessarium, non dimiserit. Hisce casibus nec emtor nec venditor invitus ad complementum contractus tenebitur, quia objectum *certum* contrahenti fuit definitum, quo deficiente, dissensus manifestus apparet, ac ideo contractus est nullus.

TH. LIII.

Error in  
fundamen-  
tis ædium.

Ad errorem in *substantia* rei venditæ *artificiali* referri potest error ac ignorantia circa *vitia fundamenti*, cui v. g. ædes superstructæ sunt, quod successive gravem ac fere irreparabilem jacturam ac ruinam ædium post se trahere potest, ut proinde interesse partium, inde emergens, a iudice non fit negligendum, modo constet, tale vitium jam ante contractum adfuisse, & tempore contractus adhuc perdurasse. Quo casu emtio talis rei ruinosæ poterit irritari.

TH. LIV.



TH. LIV.

Quodsi plures res simul venditæ fuerint; Quæritur: Si plures  
 An propter vitium unius rei ab emtore *ignoratum*, quod <sup>res simul</sup>  
 ipsam substantiam rei venditæ afficit, tota emtio irrita <sup>venditæ,</sup>  
 declarari queat? Certe distinguendum est; An *Universi-* <sup>quid juris.</sup>  
*tas* quædam *rerum*, veluti totum patrimonium, pecu-  
 lium, taberna cum mercibus *Kauf-Laden*, *Officina* chi-  
 rurgica mit *benen Kunden* &c. sit vendita, ac vitium unius  
 rei non faciet emtionem nullam, quia *Universitas* etiam  
 in minori corporum quantitate potest consistere, &  
 quod uni ex rebus venditis deest, per bonitatem forte  
 alterius suppletur ac compensatur, ut sic in talibus rebus  
 simul in unam *universitatem* combinatis, pretio per *aver-*  
*sionem* constituto, ratio singularum rerum in æstimatione  
 interesse haberi non possit. Aut vero plures res æque  
*principales* saltem per *aggregationem* sunt venditæ; Et  
 rursus interest, an pretium *certum* in *singulas* res sit con-  
 stitutum; an vero in *universum*. Posteriori casu vitium  
 unius vitiat omnes *l. 34. de Edil. Ed. l. 44. de contrah. emr.*  
 Quod tamen ita declarandum est, si emtor speciale ali-  
 quod interesse allegare queat, forte, quod hujus rei in-  
 tuitu, quæ vitiosa apparet, reliquas res simul emerit, vel  
 si deficiente hac unare, reliquæ minus usui ac commodo  
 emtori esse queant; siquidem tali casu facile constat,  
 fundamentum consensus subtrahi, quo destructo, nequit  
 emtio contra ignorantem subsistere. Priori casu emtio  
 subsistit, & res tantum vitiosa redhiberi potest. *d. l. 34. ff.*  
*de Edil. Ed.* Quod tamen limitatur: (1.) Si plures illæ  
 res sine maximo emtoris incommodo separari non pos-  
 sint, & manifestum sit, non nisi omnes quem emturum  
 vel venditurum fuisse, uti circa quadrigas emtas &c. acci-  
 dere



dere possit l. 35. l. 38. §. 14. de Ædil. Ed. (2) Si pietatis ratio prohibeat rerum venditarum separationem d. l. 38. §. fin. et l. seqq. de Ædil. Ed. Lauterb. Colleg. Pract. Pand. tit. de Ædil. Ed. Conclus. V.

TH. LV.

Contractus  
resolvitur  
ex parti  
læsi,

Hæc tamen omnia ita procedunt, si quando emtor vel venditor, sua ignorantia aut errore læsus, agat ad resolvendam emtionem; Siquidem ille, ex cujus persona læsio accidit, etiamsi ignoraverit qualitatem rei venditæ, ex capite nudæ ignorantie a contractu non potest recedere, sed tenetur, ut id præset, quod contractu suo promisit, juxta l. 45. ff. de contrab. empt. l. 11. §. 5. de A. E. V. Qui enim nullum interesse ex sua parte allegare potest, consensum suum retrahere ac sine causa penitere non debet, cum jura læsis saltem restitutionem in integrum concedant, & ita disponant, ut, ubi nulla læsio, ibi nulla de- tur validi negotii rescissio, arg. l. 11. §. 3. ff. de minor.

TH. LVI.

Error in  
Accidenta-  
libus.

Præterea error potest contingere circa Accidentalialia objecti, quod in contractum emtionis venditionis deducitur. Prout vero talia accidentalialia sunt fere infinita; ita quoque multiplici modo error potest obvenire, qui tamen varios ac diversimodos effectus producere potest. Frantzk. Comment. ad Pand. Tit. de contrab. empt. num. 62. Siquidem certum de his accidentalibus & sibi per omnia constans judicium ferri super omnibus casibus non potest, quia, pro conditione diversa personarum contrahentium, aliisque facti circumstantiis, modo huc modo illuc ratio juris inclinatur; Ac proinde totum hoc accidentalialium judicium æquo ac prudenti judicis arbitrio erit committendum, qui, pro re nata, statuet.

TH. LVII.



TH. LVII.

Circa *Accidentalialia* objecti *venditi* sese offert *Primo* Error in nomine rei venditæ, qui contractui nihil obest, si modo inter partes invicem contrahentes de *re* satis constet. Uti diserte probat *l. 9. §. 1. ff. de contrab. emt.* ibi: *Si in nomine dissentiamus, verum de corpore constet, nulla dubitatio est, quin valeat emtio & venditio: nihil enim facit error nominis, cum de corpore constat.* Siquidem vocabula ad res ipsas quidem designandas sunt comparata, rem tamen ipsam non alterant. *l. 4. pr. ff. de Leg. 1.* Sed quid si res vendita turpe aliquod ac ignominiosum nomen ex accidenti contraxerit, forte ut dicatur *Mordgrube, Fegetasch, Hurewincel* &c. idque emtor ignoraverit, ane sub hoc prætextu liceat ab emtione recedere? Non puto, quia hoc nomen addititium facile corrigi ac bonis exemplis præbitis emendari poterit, neque etiam tale imputatum vitium rei, sed personæ cohæret, qua mutata, per se nomen alterius evanescit.

Error in nomine rei venditæ.

TH. LVIII.

Deinde potissimum se error exferit circa *Accessiones* rei venditæ vel *naturales* vel *civiles*. Ubi præcipue inquirendum, quousque error ac ignorantia emtoris aut venditoris contractum dissolvat vel non; Aut quousque defectus illarum obligationem quandam ad evictionem præstandam producat, ut habeatur als ein *Gewehrs Mangel* cujus nomine venditor vel ad pretium remittendum, vel ad supplendum, quod deest, obligetur; Vel quousque etiam eo nomine venditor pænitere atque rem recipere queat. Cum enim harum accessionum intuitu contrahentes sæpius maxime inducantur ad contrahendum juxta *l. 34. pr. ff. de contrab. empr.*, utique non incon-

Error in accessionibus rei venditæ.



fulrum erit, errorem atque ignorantiam examinare, cujus commodo aut incommodo tale quid cedat, & num forte læsio inde citra dolum adversarii contingens ad merum casum fortuitum referri debeat, atque idcirco nihil ad contractum attendatur.

TH. LIX.

Generalis  
distinctio.

Ad hos proinde casus discernendos, generalem distinctionem adhibendam esse arbitramur; Aut res v. g. ædes, fundus &c. *indefinite* est vendita cum omnibus suis juribus, instrumentis, pertinentiis, mit aller Zubehör, und Pertinentien, Recht und Gerechtigkeiten, wie das Gutß von dem Verkäufer genüget und gebrauchet worden &c. Et tunc emtoris lucro vel damno erit, si plus vel minus in accessionibus fundi vel ædium fuerit, nec dabitur ex hoc solo, quod emptor minus deprehenderit, quam putarit, pœnitendi facultas, sibi enim imputare debet, quod non melius inquisiverit, nec venditor plus præstabit, quam dixit l. 34. de *contrab. empr.*

TH. LX.

Nec venditor hoc casu pœnitere potest.

Neque venditor hoc casu pœnitere potest, licet plus in accessionibus rei indefinite venditæ postea apparuerit, quam ipse opinatus fuerit, & quæ postea emtor, sedula inquisitione adhibita, de juribus atque accessionibus fundi venditi detexerit: Quia generalis atque indefinita dictio omnia includit, & quisque suo juri invigilare potest. Neque juvat emtorem aut venditorem, si jurato quisque asserere velit, se rem non fuisse emturum aut venditurum, si de defectu aut superfluo accessionum recte informatus fuisset. Neque enim hoc juramentum erit relevans, quum errorem cujusque vincibilem excusare non



non possit, sed quilibet culpam ac pœnam suæ negligentia ipse feret.

TH. LXI.

Sub hac tamen generali atque indefinita locutione ea comprehenduntur, atque ea adesse debent, quæ mos provinciae atque civitatis inter accessiones fundi necessarias ac inseparabiles recenset, siquidem istas partes contrahentes tacite simul intellexisse censentur, prout recte monet Beyer *Posit. ad Pand. Tir. de contrab. empr. num. 30.* Neque in tali interpretatione contractus ad locum domicilii contrahentium, neque ad locum contractus, sed ad locum rei sitæ, & legem ac consuetudinem ibi vigentem respici oportet, siquidem accessiones fundi vel rei venditæ ex loco rei sitæ æstimari debent, cum accessorium semper naturam ac conditionem sui principalis sequi dicatur. Unde error contrahentium, qui alium locum, quam rei sitæ, opinione sua comprehenderunt, illos non excusat, cum potuissent ac debuissent scire hoc.

Declaratio  
generalis  
locutionis.

TH. LXII.

Alter casus est, quando res non est indefinite vendita, sed ad certam designationem ac specificationem ac pertinentiarum, nach einem gewissen Anschlag oder inventario, ita nimirum, ut singulae pertinentiae atque accessiones fuerint designatae, pretio, vel singulis rebus addito, vel generatim determinato. Tunc enim ea, quæ specificata sunt sigillatim præstari a venditore debent, & sic ignorantiae emtoris succurritur, ut defectum venditor vel in natura supplere, vel æstimatione aut interesse præstito compensare teneatur. Hornius *Class. XI. respons. 22.* Imo si ea accessoria, speciatim in designatione adscripta, defi-

Alter casus.



deficiant, intuitu quorum emtor principaliter contractum iniiit, idque, emergente casu, jurato asserere possit, non tenetur, oblato interesse ac diminutione pretii contentus esse, verum rem venditam totam redhibere potest, atque ad dissolvendam emtionem agere, quia principuum fundamentum consensus tali modo contractui subtrahitur. Quapropter utilis semper ex utraque parte contrahentium est cautela, ut omnes accessiones specificè exprimantur, ne, in contrarium, querelæ & disputationes contrahentium noxiæ existant.

TH. LXIII.

An inventio thesauri contractum faciat rescissibilem?

Nec tamen *thesaurus* in fundo vendito repertus contractum facit rescissibilem; Si forte *venditor ignoraverit*, emtor tamen præsumtive ac probabiliter sciverit, eundem in fundo emto esse reconditum, quia thesaurus non est in fructu nec inter accessiones fundi recensetur, verum ad casus fortuitos refertur, inde in æstimatione læsionis allegatæ plane non attenditur. Neque enim emtor thesaurum ex jure venditionis, sed ex jure inventionis fortuitæ capit. §. 39. *Institur. de rer. div. §. 63. ff. de acquirend. dom. Struv. Synr. Jur. Civ. Exerc. XXIII. th. 87. 103.*

TH. LXIV.

An propter lapides, marmora, mineras &c. repertas pœnitere liceat?

Difficilior erit quæstio: An propter *Lapidicinas, Marmora, Stein, Marmor. oder Schieferbruch, Ton und Ziegel-Erde &c.* Item propter *venas metallicas*, aut alias *mineras*, in fundo emto repertas, venditori, qui tale quid ignoravit in fundo vendito esse reconditum, pœnitere liceat, ut fundum, restituto accepto pretio, recipere queat? Ratio pro affirmativa haberi poterit, quod tales



tales accessiones fundi, juxta principia legum civilium inter *fructus fundi* referantur *l. 13. §. 5. ff. de Usufr.* ac proinde fundi æstimationem augeant. At vero juxta praxin Germaniæ hodiernam, de venis metallorum, ac lapidum pretioforum ac mineris istis, quæ jure Regalium ad Principem pertinent, quæstio erit otiosa, cum tales, licet in fundis privatorum repertæ, cedant Principi territorii. Mylerus de *Princip. ac Statib. Imp. Part. II. cap. 69.* De reliquis vero, quæ adhuc *privatis* relinquuntur, veluti lapides vulgares, argilla &c. major potest esse dubitatio. Certe, cum ille, qui superficiem vendidit sine reservatione, etiam subterranea vendidisse intelligatur, cum superficies terræ hæc omnia quæ sunt privati juris complectatur; Utiq; venditori invito emtore a contractu recedere non licebit, quia superficies & solum invicem connexa sunt. *l. 2. ff. de superfic.* Nec proficit venditori ignorantia, potuisset enim conditionem fundi venditi melius inquirere, vel etiam fundum sub reservatione quadam vendere, & sic locutio generalis contra venditorem erit interpretanda, juxta *l. 39. ff. de pact.*

TH. LXV.

Quando error in *Confiniis* contigerit, venditorem, Error in  
qui vicinis celavit, teneri, notat *l. 35. in fin. de contrab. confinie.*  
*emt. verbis: Si quis in vendendo prædio confinem celaverit,*  
*quem emtor si audisset, emturus non esset, teneri vendito-*  
*rem.* Id quod Gothofred. ad *d. l.* ita explicat: Emtionem  
validam manere, atque venditorem, qui sciverit, eo  
nomine ad interesse obligari. Verum non ita commode  
satis textus interpretatio recipi poterit; Cum enim

F

grave



grave fit, rixosum aut alio ex capite exitiosum aut molestum sibi habere vicinum, unde maxima discordiarum incommoda nasci possunt, utique censerem, justissimam inde causam esse a contractu recedendi arg. l. 14, ff. pro soc. Potest enim evenire, ut illud incommodum, inde metuendum, nulla sufficienti cautione, aut interesse præstatione compensari queat, ut præter omnino, causam intactam servare, quam post vulneratam illam remedia quærere. Mevius Part. VII. decis. 108. num. 6.

TH. LXVI.

Error circa  
numerum  
pondus ac  
mensuram.

Erratur porro circa Numerum, Pondus ac Mensuram rei venditæ. Atque admittenda est Doctorum sententia, qui distinguunt: An res per *averfionem* sit emta vendita, hoc est, pretio summatim constituto, sine relatione ad certum numerum, pondus ac mensuram, scil. formula adhibita: Ueberhaupt durch den Wogen oder im Pausch. Vel etiamsi quantitas quædam adjecta quidem fuerit, verum nudæ saltem *demonstrationis*, non taxationis causa. Tunc five plus five minus opinione postea appareat, ignorantia aut error emtoris aut venditoris non attenditur, sed, si modo dolus absit, cedit illud lucro aut damno tam emtoris quam venditoris, ac pretium conventum, non obstante exceptione erroris, debetur, nec plus exigi, aut minus dari debet. l. 13. §. 14. ff. de A. E. V. Berger Part. II. Resp. 210. num. 2. Hoc enim casu objectum venditionis, non in quantitate, numero, pondere ac mensura est positum, sed in ipso corpore, per *averfionem* vendito, quod five plus five minus sit, corporis tamen significatu continetur. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. XXIII. th. 11. 13. Homburg Consil. resp. 224.

TH. LXVII.



TH. LXVII.

Aut vero res *speciatim* ad certam quantitatem numeri, ponderis ac mensuræ est vendita, pretio nimirum *sigillatim*, forte ad singulos modios &c. constituto. Tunc certum est, si quid deficiat in mensura, pondere, numero sive alia quantitate a venditore expressa, sive is sciverit, sive ignoraverit veram quantitatem, id sup- Alter casus refertur.plendum esse, vel tantum in pretio detrahendum, quantum responderet ei, quod deficit *l. 40. §. 2. de contrah. emt. l. 42. de A. E. V. l. 69. §. fin. ff. de Evid.* E contrario, superfluum si quid appareat, pretium quoque pro rata ad crescere debet *Carpzov. Lib. V. resp. 25. 47. Besoldus Vol. VI. Consil. 267.*

TH. LXVIII.

Verum sæpius evenit, *diversas* esse mensuras ac pondera, vel etiam numerum mercium, ex differentia Quid juris in diversitate mensuræ, ponderis ac numeri, *locorum* vel etiam *objecti* rei venditæ *Lyncker Vol. II. resp. 64. 65.* Forte quod alia fiat computatio in loco domicilii contrahentium, alia in loco rei sitæ, alia porro in loco contractus ac destinatæ solutionis. Ubi facile error ac ignorantia ex altera parte contrahentium in hac vel illa parte posset evenire. Ubi disquirendum foret, si ex errore isto læsio quædam emtori vel venditori obvenerit, ut vel plus opinione sua venditor præstare compellatur, vel minus emtori, quam sibi persuaserat, accipere offeratur; Et unus forte contrahentium ex more sui domicilii, alter ex loco contractus vel destinatæ solutionis, quantitatem mercium æstimandam esse velit, erronea quadam opinione deceptus. Certe hisce casibus emtionem nullam esse censemus, ob manifestum partium



partium dissentium, qui ipsam substantiam rei afficit, cum circa corporis æque ac pretii quantitatem versetur.

TH. LXIX.

Contraria.

Cessat actio vel exceptio Erroris ac ignorantia (1) Quando interesse, quod allegat is, qui læsionis reparationem aut rescissionem contractus præten dit, est *minimi momenti*, uti decidit l. 54. de *contrab. empt.* ibi: *Res bona fide vendita ob minimam causam inempta fieri non debet.* Qui textus, cum generaliter loquatur, non tantum de minima læsione in pretio, sed de qualibet læsione etiam circa rem contingente, si minimæ æstimationis sit, merito accipiendus est. Pinell. ad L. 2. Cod. de *rescind. vend. Lib. II. Part. I. num. 2.* (2) Cessat in iis, quæ post contractum semel perfectum superveniunt, sive commoda sive incommoda sint, non præmeditata aut ignorata ab emtore vel venditore. Siquidem hæc emtorem sequuntur, etiamsi res emtori tradita non sit, prout clare docet §. 3. *Inst. de Emt. vend. l. 7. §. 8. ff. de peric. & commod. rei vend.*

Corrigenda:

Pag. I. lin. II. propterea. p. 2. l. 10. indaganda. p. 3. l. 7. dictamen, p. 4. l. 8. præmeditato animo. l. 20. quæri lege quæstio. l. ult. Synt. Jur. Civ. p. 5. l. 8. incuriosos, l. 26. Tom. I. c. 194. pag. 6. l. 13. emtoris lege venditoris, p. 7. l. 8. vendas sciens fugitivum, l. 9. dele vendito. l. 13. queritur. l. 21. ignoret. l. 25. 26. redhibitoria, p. 8. l. 6. quia lege quin, l. 14. transgrediatur, p. 9. l. 18. l. 15. ff. lege l. 45. ff. l. 25. aurichalcum, p. 11. l. 7. Synt. Jur. Civ. l. 27. Error lege errore, p. 12. l. 17. alis lege aliis. l. 22. provenire. p. 14. l. 23. aliquod, l. 26. civili, p. 17. l. 12. conditio. p. 18. l. 14. 15. dissentient, l. 17. concurrat. l. 20. perduci, l. 23. 24. translationem, p. 19. l. 13. quo. l. 25. potuisset, p. 20. l. 2. 3. 4. perceperit, ac propterea nulli nec evictionis nec alius præstationis obligationi subjacent. l. 11. crediderit, l. 16. 17. extrinsecum, p. 21. l. 27. promississe, p. 22. l. 11. thesis, p. 23. l. 17. Synt. Jur. Civ. p. 24. l. 10. venditio. l. 17. dele proximum, p. 26. l. 9. si lege sit l. penult. alteret. p. 27. l. 12. 13. versetur, p. 28. l. penult. quod lege ex, p. 29. l. 4. pendet, p. 36. l. 7. in Marg. parti lege parte,



ULB Halle 3  
004 094 174




f.  
sb.











B.I.G.

Farbkarte #13

*Offene erit in ant. vord.*

*1, 455.462 7*  
*1877*

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
**EFFECTU ERRORIS  
IN CONTRACTU EMTI  
VENDITI,**

*1749, 1<sup>a</sup>*

*QUAM*  
DEO ADJUVANTE

ET  
ILLUSTRI JURISCONSULTORUM ORDINE  
DECERNENTE,  
IN ALMA CHRISTIAN-ALBERTINA,  
MAGNIFICO PRÆSIDE

**D. FRID. GOTTLIEB STRUVIO,**  
CÆSARÆ CELSITUDINIS, DUCIS SLESVICO-HOLSAT.

CONSILIARIO JUSTITIÆ, PROFESSORE ORDINIS JURIDICI  
PRIMARIO, FACULTATIS P. T. DECANO,

ANNO MDCCXLIX. DIE XXIV. SEPT.

**PRO LICENTIA**

HONORES DOCTORALES OBTINENDI  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTIT

**JOANNES ALBERTUS HANKOPH,**  
HAMBURGENSIS.

KILONII, LITTERIS GOTTER. BARTSCHII, ACAD. TYPOG.

*16.*

